



Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Imperatores Orientis, Constantinopolitani, monachi quidem facti, sed sub qua regula, Basilii scilicet, an Benedicti dubitatur. cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38397

prius ibidem traditis, monachus effectus est; anno Christi 946. Leo Card. ostensis in chronico Casinensi, lib. 1. cap. 64. & alii, ab ipso mutuati.

Arduinus, Italiae Imperator X.

ARDVINVS, Dodonis Marchionis Eporediæ filius, Mediolani Longobardis contra sanctum Henricum II. Imp. Augustus appellatus anno 1002. Cum non multo post ab Henrici sequacibus prae victus fuisset, prae nimio animi dolore, regno terreno se abdicavit, atque ultro in monasterium Sancti Benigni Fructuariæ in agro Turinensi, quod superioribus annis pro filio Gulielmo constitutum, abdidit, anno 1016. & duobus annis in penitentia perseveravit. Valpergiæ mortalem sarcinam exuens, pro terreno cœleste regnum acquisivit, anno Christi 1018. secundo die Martii, & in cœnobio Fructuariensi (alii in Abbacia Grazani Albensis Diœcesis dicunt) ad gloriam D. Baptiste Ioannis sepultus est. Carolus Sigonius de regno Italiae lib. 8. in principio: & Philibertus pingonius in Augusta Taurinorum, annos 1013. 1015. 1016. & 1018.

Imperatores Orientis, Constantinopolitani, monachi quidem facti, sed sub qua Regula, Basilii scilicet, an Benedicti, dubitatur. Cap. II.

Artemius Anastasius.



FLAVIUS Artemius Anastasius, Imperator Constantinopolitanus, Imperii sui anno 1. mense 3. actus abdicavit 14. Cal. Septembris, anno Domini 716. & Monachus factus, Thessalonicam relegatus est, ubi aliquot annis post a Leone. III. Imp. eccusus fuit.

Theodosius IIII.

FLAVIUS Theodosius IIII. Adramyttenus, Imperator, postquam Imperium dolo acceptum menses 7. & dies 6. tenuisset, iusto Dei iudicio eadem passus est; quæ in prædecessorem suum Anastasium miserat: deturbatus enim Imperio, monachari coactus anno 717. religionem diem clausit.

Stauratius.

FLAVIUS Stauratius, Imperator, cum Imperiū a patris morte mo-

es 2. & dies 10. gubernasset, coactus a Michael Rancabe abdicavit Byzantii, anno Domini 811. tertio Nonas Octobris: & monachus factus in cenobio Hebraica (alias Braca) a se condito, anno sequenti tertio idus Ianuarii mortuus, in eodem sepultus est.

Bardanes.

BARDANES, Turcas, Patricius, Imperator appellatus in Oriente ex Pretore Orientis, 14. Cal. Augusti, anno Domini 802. Non in iit, sponte enim abdicavit, & monachus factus est in monasterio a se in Insula prima constructo.

Michael III. Rangabes.

FLAVIUS Michael III. Rangabes. Imperator Imperii sui anno 1. mense 9. die 9. a Leone V. Armeno coactus Byzantii abdicavit, 5. idus Iulij anno Domini 813. & monachus factus est in monasterio insula Protes.

Theophylactus.

FLAVIUS Theophylactus, praedicti Michaelis filius, Imperator appellatus a patre, Constantinopoli 8. cal. Ianuarii, imperavit cum eo annum 1. menses 6. & dies 18. & cum eodem abscissis genitalibus in insulam Proten relegatus 5. idus Iulij anno 813. monachari ibidem compulsus est.

Romanus Lecapenus.

ROMANUS Lecapenus, Theophylacti Abasteti filius, Constantinopoli natus, Constantini VII. Imp. focer ex filia Helena, Imperium arripuit & Caesar appellatus est, an. 921. Augustus vero an. 922. die 8. Cal. Ian. qui cum annis plus minus, 26. Imperium tenuisset, coactus a Stephano Imp. filio suo, abdicavit anno 947. monachusque factus est in monasterio insulae Protes, in quo vitam cum morte commisit anno 950. mense Iulio, & in Myrelæo sepultus est.

Michael III. Paphlago.

FLAVIUS Michael III. Paphlago. Imp. cognomento, Nonicius, & Zoe Imperatricis secundus maritus, imperii sui anno 6. mense 6. anno Domini 1041. sponte abdicavit, & monachus factus est in monasterio Anagyrorum, in suburbio Byzantii a se condito, ubi aliquot diebus post die 10. Decembris obiit, morbo intercutaneo.

Michael V. Chalaphates.

FLAVIUS Michael V. Chalaphates, Imp. Michaelis Paphlagonis ex Maria sorore nepos, quo procurante a Zoe Augusta adoptatus est, appellatusque Augustus, abdicante Michael anno 1041. cum imperasset menses 4. & dies 5. coactus a S. P. Q. Constantinopolitano,

CCc 4 ab-

abdicaui circa Cal. Ianuarii, anno 1041. & monachus factus est, in monasterio Studii, cum patruo suo, ubi non longe post, sic iubente Theodora Imp. luminibus priuati sunt, & ex illo cœnobio ad monasterium Elegmorum die 2. n. Aprilis anni 1042. Michael ipse translatus, deinde anno sequenti a Constantino Monomacho in Chium insulam relegatus, ibidem monachus obdormiuit.

Isaacius Comnenus.

Isaacius Comnenus Imp. clarissimis, & nobilissimis parentibus natus Constantinopoli, & Imperator appellatus in Oriente contra Michaelē Seniore, anno 1057. Calendis Septembris, cum annos 2. & menses 3. imperasset, sponte abdicaui, mense in Decemb. anno 1059. & in monasterio Studii monachus factus, Religiosis operibus se exerceens, ibidem diem clausit anno 1061. secundo ingressu suo.

Romanus V. Diogenes.

Flavius Romanus V. Diogenis filius, vnde Diogenes dictus est, Imp. a S. P. Q. Constantinopolitano imperio exactus circa Cal. Octobris anno 1071. capillis detonsus, pullaque veste indutus, ac oculis erutis in monasterium insulæ Protes relegatus est, ubi non longe post obiit, Imperii sui anno tertio, mense decimo.

Michael VII. Parapinaceus.

Flavius Michael VII. Imp. a fame quæ sub ipso inualuit, cognomento Parapinaceus, Ducas, Constantini Ducæ Imp. filius, anno Imperii sui 6. & mense 6. coactus a Nicephoro Botaniate Imp. abdicaui, 7. idus Aprilis, anno Domini 1078. & monachus factus est in monasterio Studii, in quo ita laudabiliter conuersatus est, ut non longe post Metropolitæ Ephesi creatus, usque ad tempora Alex. Comneni Imp. vitam produxerit, obieritque postmodum in cœnobio Manuelis.

Ioannes Ducas.

Flavius Ioannes Ducas, Imp. Andronici filius, postquam cum tribus Imp. annos 15. & menses aliquot imperasset, coactus a Parapinaceo Imp. deposita nigrata veste, capillisque detonsis, monachum habitum induit, anno Domini 1075. & monasterium quoddam ingressus, reliquum quod super fuit uitæ, in Dei seruitio consumpsit.

Nicephorus III. Botaniates.

Flavius Nicephorus III. Botaniates, Imp. qui a Nicephoro Phoca Imp. stemma ducens, genus suum ad illustrem Fabiorum veteris Romæ familiam referebat, exacto Parapinaceo, Imperator in Asia

acclamatus, anno 1078. die 8. Cal. Aprilis, imperium tenuit annos 3. & dies 8. & postmodum coactus ab Alexio Comneno. Imp. Constantinopoli abdicavit Calendis Aprilis, anno 1081. & monachus factus est in monasterio Peribleptæ, ubi paulo post obiit & sepultus est.

Manuel Comnenus.

Flavius Manuel Comnenus, Imp. Ioannis Imp. filius, paulo ante mortem, quæ accidit, anno 1180. quinto nonas Octobris, in monasterio Pantocratoris monachali veste indutus, & detonsus, ibidem obiit Imperii sui anno 37. mense sexto, ubi & honorifico tumulo conditus est.

Isaacus II. Angelus.

Isaacus II. Angelus, Imp. Andonici filius, imperii anno 9. mense 7. insidiis fratris sui Alexij in Mysia Imperio exactus, 4. idus Aprilis, anno 1195. oculis priuatus in monasterio s. Mariæ de Pera, ut monachus relegatus est. Sed anno 1203. Latinorum opera restitutus, cum aeris repentinam mutationem ferre nequireret, paulo post interiit mense Ianuario, anno 1204. ætatis suæ 60. Bizantii sepultus.

Andronicus senior.

Andronicus senior Palæologus Imp. Michaelis VIII. Palæologi filius, imperio deturbatus ab Andronico nepote, ob ignauiam suam, in monasterium detrusus est anno 1325. cum imperasset annis 43. plus minus, ubi mærore animi septuagenarius obiit pridie Idus Februarii anno 1332.

Ioannes V. Cantacuzenus.

Ioannes V. Cantacuzenus, Imp. coactus a Ioanne VI. Imp. Andronici filio Palæologo genero suo, abdicavit anno Domini 1354. & monachus factus Ioasaph appellatus est. Scripsit iam monachus,

Contra Saracenorum hæresim, pro Christiana religione, Apologias, 4. quæ excusæ sunt Basileæ in fol.

Contra Machometem, Orationes 4. impressæ ibidem.

Contradictiones aduersus Prochorum Cydonem

Alia capita contradictoria in eundem.

In eundem librum alterum : &

Paraphrasim in quinque libros Ethicorum Arist. quæ seruatur græcè Venetiis in Bibliotheca SS. Ioannis & Pauli.

Impe-